

meliolem, aut maiorem reputat iis, qui nō habent. Rectissimè admonet S. Augustin. Lazarum non delatum fuisse ab Angelis in sinum Arbahæ propter inopiam, sed propter humilitatem: neq; diuitem Epulonem sepultum fuisse in inferno propter diuitias, sed propter superbiam. Alioquin ipse etiam Abraham, qui ditissimus fuerat, in inferno sepultus fuisset. Sed quoniam Abraham cinerem, & puluerem se esse arbitrabatur, & mandata Domini ita diligenter obseruabat, vt non solum opes, sed ipsum filium vnigenitum, cui seruabat opes, propter Deum sacrificare promptissimus erat; ideo nō solum ad locum refrigerii post mortem ductus fuit, sed etiam ad eius sinum congregabantur omnes, qui eo tempore in Domino moriebantur. Ipse etiam Dauid diues erat, quod ad terrenam substantiam attinet; sed quoniam nō inde superbiebat, neq; eam magnificiebat, & totus à Deo pendeat, in quo spem suam, & vires suas, & omnia bona sua collocauerat, & sine quo nihil se esse, aut posse sciebat, ideo se verè pauperem & inopem prædicabat.

II. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

Explicat in quo cupiat exaudiri; ac primum proponit id quod est verè primum in intentione, & quod ipse Dominus primum quæri iussit, cum ait: Primum quærite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis, Matth. 6. Custodi, inquit, animam meam, id est, cōserua vitam animæ meæ, cui tam multi hostes in hoc exilio insidiantur. Quoniam sanctus sum, id est, ideo peto cōseruari vitam animæ meæ à te, quoniam tu mihi eam dedisti, tu me in sanguine Filii tui iustificasti, & sanctificasti, & per hoc viuificasti, qui in peccatis mortuus eram. Nam, vt rectè dicit S. Augustinus, cum quis per sacramēta Christi iustificatum se esse confidit, & ex gratia Dei sanctum se nominat, non est superbia elati, sed confessio non ingrati; quod si

quis dicere non audeat, sanctus sum, id est, iustificatus, & mundatus: saltem dicere potest, sanctus sum, id est, fidelis sum, sanctæ religionis, & fidei professor sum, Deo per baptismum dedicatus, & sanctificatus sum. Saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Idem repetit aliis verbis. Ideo enim cupit custodiri animam suam, vt non perdat salutem æternam; sic enim loquitur S. Petrus in epist. 1. c. 1. Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam reuelari in tempore nouiss. mo. Petit igitur salutem, quam ne amitteret, petierat custodiam. Addit rationem, cum dicit, Seruum tuum sperantem in te, quia cum Deus saluum facit seruum suum, saluam facit rem suam: & cum saluum facit sperantem in se, fidelem, & iustum se demonstrat, quia implet quod promisit.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. III.

Petit in secundo versiculo summū bonum, id est, salutem animæ, quæ est finis omnium desideriorum: nunc recto ordine petit medium ad finem, lætitiā, videlicet, spirituale, qua fortiter toleret tentationes, & pericula exilii, donec ad salutem perueniat, ubi nullæ erunt tentationes, nulla pericula. Miserere mei Domine, id est, misericorditer exaudi orationem meam, quoniam ad te clamaui tota die, id est, quoniam ardentem, & perseveranter oravi; nihil enim magis requiritur ad impetrandum, quā si oratio fundatur ex accēso desiderio, quod significatur in verbo, clamaui; & cū perseverantia, quæ significatur in vocibus illis, tota die. Lætifica animam serui tui; hæc est petitio, quā misericorditer exaudiri petit, & pro qua tota die clamauit. Lætifica, inquit, animam serui tui, id est, vndiq; angustiis tentationum premor, nihil mihi in hac valle lacrymarum occurrit, nisi amarum, dum non minus prosperitas terret, quā aduersitas ipsa contristet. Ideo lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine ani-